



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio. VI. De immutabilitate, æternitate, & vnitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

utraque est æquè absoluta & intrinseca. Quare tertio falsum est *ubi* intrinsecum Angeli, habere ordinem essentialem ad spatium formaliter extensum, vel ad eius indivisibile. Nam illud, *ubi*, convenit illi per se absolute, sine respectu intrinseco ad spatium corporeum, estque ipsamet eius entitas spiritalis, independens à corpore, & per se sufficiens corporali spatio respondere. Quarto, falsum pariter est Deum non futurum per essentialiam seu substantiam in tali Angelo, vel corpore inextenso. Nam licet omnia creata destruerentur, præter Christum indivisibiliter positum in Eucharistia: divinitas esset vnita eius humanitati, vt & anima eius corpori. Ergo esset illi intimè præsens secundum substantiam. Nam vnio physica & substantialis extremorum, non potest fieri & conservari, nisi extrema sint intimè præsentia. Idemque dico de Deo & de Angelo, si Deus illum hypostatice assumeret, vt possibile est. Eademque est ratio de omnibus aliis quæ tunc essent, quamuis Deus illis non vniretur, sed tantum intimè adesset. Neque enim Deum esse in aliquo, est illi vniri. Nam Deus re ipsa est intimè in omnibus corporibus creatis, & tamen nulli vnitus est, nisi corpori Christi. Dicere autem Deum in eo casu fore indistantem aut præsentem negatiuè, est ludere in verbis, aut loqui inintelligibiliter. Nam illa præsentia est positiva, quæ est inter entitates positivas sibi intimas vel immediatas: Neque aliter spiritus sunt præsentibus corporibus positivi, aut Deus toti mundo, nisi quia per suas entitates intimè vel immediatè simul existunt: & omnis alius modus positivus distinctus, est fictus & superfluus, atque inutilis ad fundandam

hanc denominationem. Quinto denique, incredibile est Angelos omnes fore tunc necessariò indistantes, defectu extensionis corporeæ cui respondeant. Nam, vt supra diximus, si Deus, Angelis immotis manentibus, mundum corporeum annihilaret, Angeli beati qui nunc existunt in cælo empyreo, non minùs distarent à Dæmonibus qui nunc in inferno continentur.

Nihil meliora sunt quæ Vasquez, & alij eiusdem sententiæ assertores respondent. Nam quod ait Marat. sect. 3. & 4. disp. cit. non magis posse virtuales extensionem Dei, vel Angeli, esse sine extensione corporali cui respondeat; quàm similitudinè vnus albedinis, sine aliâ cui sit similis: vel vnionem sine extremis: à vero alioquin est. Similitudo enim est denominatio extrinseca ad altera albedine coëxistente: vel, vt alij volunt, est relatio vnus albedinis ad aliam vt coëxistentem. At extensio virtualis Dei, vel Angeli, non est denominatio extrinseca à coëxistenti spatio corporali, neque relatio, sed tributum absolutum & omnino intrinsecum. Non est quoque vnio cum spatio corporali. Nam Deus & Angeli non vniantur spatio, quibus intimè respondent. Et illis non existentibus essent per se completè apti, id est, sufficientes illis respondere: in quo consistit formaliter virtualis eorum extensio situalis: sicut duratio eorum intrinseca consistit formaliter in extensione virtuali permanenti in esse, per quam sunt completè potentes respondere temporis, vel enti formaliter successivè. Id est, duranti per varias sui partes, alias aliis continuò succedentes, vt multi tempus durare censent.

46.
Marat.

Extensio
virtualis
Dei, vel
Angeli, potest esse sine
extensione
corporali cui
respondeat.

DISPUTATIO SEXTA

De Immensitate, Æternitate, & Vnitate Dei.

- Sectio I. *An Deus sit omnino immutabilis?*
 Sectio II. *Solutio, & signor difficultates circa immutabilitatem Dei.*
 Sectio III. *An & quomodo Deus sit æternus?*
 Sectio IV. *De Vnitate Dei: Et utrum Deus sit ita vnus, vt absolute repugnet esse plures?*

DE materia proposita disputat S. Doctor quæst. 9. 10. & 11. Ac primò affirmat Deum esse simpliciter immutabilem: tum quia est primus ens, & actus purissimus, absque permixtione alicuius potentie: tum etiam quia est omnino simplex, incapax omnis compositionis cum aliquo, quod acquirat per mutationem: tum denique, quia cum sit infinitus

simpliciter in omni genere perfectionis, non potest aliquid acquirere, neque extendere se ad aliquid, ad quod prius non pertinebat. Secundò, Dei solius proprium esse, quòd sit immutabilis: Cetera verò quæcumque mutari posse, vel per potentiam, quam in se habent ad mutationem: vel per potentiam in alio, scilicet in Deo, à quo mutari possunt. Tertio, Deum esse æternum, quia est immutabilis, idque illius proprium esse. Creaturæ verò illæ, quæ nunquam desinunt, vt Angeli, & animæ rationales, eatenus participant æternitatem, quatenus participant immutabilitatem. Quarto, æternitatem differre ab ævo, & à tempore, quia æternitas tota simul est: est enim vitæ interminabilis tota simul, & perfecta possessio: tempus verò est successivum, cum sit mensura motus secundum prius, & posterius: & ævum medium quiddam est inter æternitatem, & tempus, de utroque participans: quia licet non habeat in seipso prius, & posterius; potest tamen coniungi: quatenus est duratio rerum, intransmutabilem quidem quoad esse substantiale; sed transmutabilem quoad accidentia: cuiusmodi sunt Angeli, & corpora cœlestia. Licet autem aliquo sensu ævum tam multiplex sit, quam sunt multæ res æternæ: magis tamen verè, & propriè est vnicum ævum; duratio scilicet primæ æternæ, quo aliorum durationes mensurantur. Quintò, Deum esse vnum, & vnicum: quia est omnino simplex, & perfectionis simpliciter infinitæ, & causa ordinis totius Vniuersi, qui ad vnum reduci debet. Cumque sit maximè ens, & maximè indiuisus, est etiam maximè vnus. Hucusque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus Sectionibus fusiùs declarabitur.

SECTION I.

An Deus sit omnino immutabilis?

Respondeo, Deum esse simpliciter & absolute immutabilem, id est incapacem cuiuscunque mutationis: idque omnino Dei proprium esse, cetera enim omnia præter ipsum, mutabilia sunt. Ita S. Thomas qu. 9. art. 1. & 2. & omnes Catholici, estque res cetera sine diuina.

Deus est simpliciter immutabilis.

Prima responsi pars probatur primò ex Scriptura. Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Iacobi 1. Ego Dominus & non mutor, Malachiz 3. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Psalm. 101. Non est Deus quasi homo, ve mentiatur, nec ut filius hominis, circumdatur, Num. 23. Ego sum qui sum, indefectibiliter scilicet & inuariabiliter, Exod. 3. Quibus Scripturæ testimonia simul iunctis excluditur à Deo, non solum mutatio voluntatis, seu

propositi vel secreti, sed absolute & generaliter quævis mutatio proprie dicta. Eoque sensu exponuntur à sanctis Patribus, Augustino libro de natura boni aduersus Manichæos cap. 24. & lib. 5. de Trin. cap. 2. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 7. Gregor. magn. homilia 2. in Ezechielem, sub finem: Anselm. in Profolog. cap. 22. Eleganter verò Dei immutabilitatem expressit magnus Dionysius capite 9. de diuinis nominibus, in quibus: Idem super subsistentiam æternum est, inuicibile: in seipso manens, semper secundum eodem, & eodem se habens modo, omnibus eodem modo presens, ipsumque secundum seipsum in seipso firmiter & inextinguibile, in pulcherrimis excellentis-identitatis finibus collocatum, inuicibile, casui minime obnoxium, forte & constans, inuariabile, inmixtum, immateriale simplicissimum, mutans quærens, quod augeri minusque non possit.

Probatur secundo ex Lateranensi, capite firmiter, ubi desinit Deum esse æternum & incommutabilem. Quo nomine non significatur solum immortalitas, quæ prius æternitatis nomine satis fuerat comprehensa: sed

August.

Fulgent. Gregor.

Anselm.

Dionys.

Lactant.

iuxta vocis proprietatem & vim, excluditur mutatio & mutabilitas quæcunque illa sit, verè & propriè dicta.

Probatur tertio, remouendo modos omnes mutabilitatis qui possunt naturæ intellectuali conuenire. Sed prius nota primò, immutabilitatem idem esse, atque incapacitatem mutationis, seu repugnantiam vt quidpiam mutari possit. Secundò, mutationem propriè dictam, debere fieri secundum aliquam intrinsecum rei quæ dicitur mutari, ita vt illa in seipsa aliter quàm antè se habeat, acquirendo vel amittendo quidpiam intrinsecum. Neque enim paries v.g. mutatur, quando de non viso fit visus, seu potius dicitur & denominatur visus, à visione sibi extrinseca: aut cum dicitur dexter vel sinister, à dextera vel sinistra animalis. Tertio, esse intrinsecum, secundum quod res mutari potest, duplex esse. Vnum est primarium, quod est ipsamet rei substantia vel entitas, quæ est basis & fundamentum cæterorum omnium, quæ rei conuenire possunt. Alterum est secundarium, quod est forma, vel qualitas, vel quidpiam aliud, distinctum ab esse primario, illique adiunctum & aduentitium: distinctum, inquam, à parte rei: alioqui enim non est vera & physica seu realis mutatio, si nihil intrinsecum in re distinctum acquiritur aut perditur. Vbi enim est tantum distinctio rationis, cum fundamento in re: non potest esse mutatio nisi rationis, id est, virtualis: quia non potest esse maior mutatio, quàm sit diuersitas seu distinctio. Quicquid enim mutatur, eo ipso formaliter quod mutatur, aliter se habet intrinsecè quàm antè. Aliter autem se habere, idem est ac diuersimodè se habere: quia esse diuersum, & esse aliud, idem sunt.

Nota quarto, quatuor genera mutationum posse naturis intellectualibus conuenire. Primum est, quoad esse primarium: quatenus res secundum suam substantiam, seu entitatem, potest esse & non esse: potestque de non esse formali, vel virtuali, transire ad esse: vel è contrario, de esse actuali transire ad non esse. Et hæc mutabilitas Deo repugnat: quia cum Deus sit ens à se, & absolute necessarium; non potest non esse. Atque ita est omnino incapax mutationis, quæ formaliter aut virtualiter transeat de non esse ad esse: vel de esse ad non esse: Eoque seipsum dicitur Exod. 3. *Ego sum qui sum*, necessario scilicet, absolute, & indefectibiliter. Et Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Et prima Timothei 6. *Qui solus habet immortalitatem.* Quem locum S. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 12, sic exponit: *Per hoc, inquit, solus Deus habet immortalitatem, qui non inuisquam gratiâ, sed natura sua, nec potuit, nec poterit aliqua conversione mutari.* Ob eandemque causam impossibile est, Deum posse conuerti in aliud: quia id quod conuertitur in aliud, definit esse id quod est, vt fiat illud aliud in quod conuerti dicitur. Sicut in conuersione Eucha-

ristica definiunt esse panis & vinum, vt fiant, corpus & sanguis Christi. Et in conuersionibus naturalibus definit esse aqua, cum in aërem vertitur; aut lighum, quando in ignem transmutatur. At Deus non potest definire esse id quod est. Ideoque S. August. Epist. 102. *Illud, inquit, maxime cauendum est, ne cuiquam Dei natura commutabilis, & conuertibilis esse dicatur.* Et Chrysostr. homil. 10. in cap. 1. Ieron. *Longè ab immortalis illa natura est transmutatio.* Et Origenes 1. Periarchon, cap. 2. inter medium & finem. *In omnibus incouertibilis est, & incommutabilis: & substantiale in eo omne bonum est, quod vniue mutari, atque conuerti nunquam potest.* Ob eandem denique rationem non potest aliud quidpiam in Deum conuerti: vt docent contra Eurychianos Cyrillus Alexandrinus, libro de fidei fide, ad Theodosium, paulò post initium; & in epistola ad Nestorium quæ habetur parte 1. Actorum Concilij Ephes. cap. 14. alique Patres. Nimirum, quia terminus ad quem conuersionis debet fieri id, in quod aliud conuerti dicitur. Ac sicut ad veram conuersionem necessarium est, vt terminus à quo, qui nimirum conuertitur in aliud, definat esse, secundum eam rationem quæ dicitur conuerti: ita necesse est vt terminus ad quem, fiat, siue incipiat esse sub ea ratione, secundum quam aliud dicitur in ipsum conuerti. V. g. vt lignum conuertatur in ignem, debet definire esse lignum, secundum propriam rationem ligni: & ignis debet fieri secundum propriam rationem ignis. Nimirum, quia conuersione proprie dicta est actio, quæ vnum vertitur in aliud, & illud ipsum quodammodo fit, atque à suo esse ad illius esse transit. Non potest autem vnum transire in aliud, & fieri illud, nisi ipsum definat esse id quod est; & nisi fiat illud aliud, in cuius esse conuerti & transire dicitur, atque illud ipsum quodammodo fieri. Alioqui enim quomodo in illud transit, & illud ipsum quodammodo fit? Ideoque D. Thomas 3. part. quæst. 2. artic. 1. loquens de diuina essentia, sic ait: *De ipsa potest conuerti in aliud, cum sit incorruptibilis: nec aliud in ipsam, cum sit ingenerabilis.* Et sanctus Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei cap. 18. Hoc discrimen assignat inter veras & miraculosas conuersiones quæ à Deo fiunt, & apparentes, quæ à Dæmone: quod illæ fiunt per veram & substantialem rerum conuersionem: hæc verò per solam inuisibilem translocationem, quam negat esse veram conuersionem.

Secunda mutabilitas est mutabilitas secundum formam substantialem, vel accidentalem realiter distinctam, cuius accessu vel abscissu res, mutari dicitur. Et hæc repugnat Deo ratione suæ summæ & excellentissimæ, sibi que ipsi sufficientissimæ perfectionis. Talis enim mutatio non potest fieri sine aliqua imperfectione subiecti, quod à tali forma

Quid sit immutabilitas?

Mutatio proprie quid sit?

Mutatio quadruplex esse potest.

Deus est immutabilis quoad esse.

August.

Chrysostr.

Origen.

Cyrill. Alex.

xand.

Ephesin.

D. Thom.

August.

Deus est immutabilis quoad formam.

capit commodum vel incommodum, ornamentum aut dedecus, utilitatem aut dispendium, incrementum aut detrimentum in suo ipsius esse, vel operari, vel modo se habendi intrinseco circa seipsum. Quapropter sanctus Hilarius enarratione in Psal. 2. circa illa verba, *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo* &c. sic ait: *Beata illa, perfecta, aeternaque virtutis bonitas, non patitur conversionem, nec demutationem ex alio in alio, motu accidentis in sanctis.* Et sanctus August. lib. 5. de Trinit. cap. 2. *Alia, inquit, essentia suae substantiae, accipiunt accidentia, quibus in eis fiat, vel magna, vel quantumcunque mutatio: Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest. Et ideo sola est immutabilis substantia vel essentia, quae Deus est.* Et Cyrillus Alexandrin. cum Synodo Alexand. in epistola ad Nestorium, quae habetur par. 1. Actorem Concilij Ephes. cap. 14. *Inconvertibilis est enim & immutabilis, idemque ipse iuxta Scripturas ingerit permanens.*

Hilarius.

August.

Cyrril.

Tom. 4. disput. 5. sect. 6.

Deus est immutabilis quoad modum se habendi.

Deus est immutabilis secundum cognitionem & voluntatem.

Tertia mutabilitas est secundum modos se habendi intrinsecos, distinctos ex natura rei à re modificata, ut fert opinio plurimorum, cuius examen, & veritatis discussionem in alium locum reijcimus: per quos scilicet res intrinsecè & in se ipsa aliter se habere, per accessum, vel desitionem alicuius entitativae, ex natura rei distinctae à subiecto. Qualis est v. g. iuxta illam sententiam, mutatio Angelorum secundum locum, id est, secundum ubi intrinsecum: quod plurimi volunt esse modum intrinsecum distinctum ex natura rei: idemque aliqui consent de duratione Angelorum & aliarum rerum creaturarum. Et hoc genus mutationis in universum repugnat Deo propter eandem rationem, quae supra probavimus repugnare Deo mutationem per formam realiter distinctam. Speciatim verò mutatio secundum locum, pugnat Deo ratione immensitatis: & mutatio secundum durationem, ratione aeternitatis, per quam Deus ex absoluta necessitate indefectibiliter & invariabiliter semper existit: Iuxta illud Exod. 3. *Ego sum qui sum*, necessariò scilicet & indefectibiliter: & Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt.*

Quartum genus mutationis, proprium naturarum intellectualium, est mutatio secundum cognitionem & voluntatem: quae duplex est. Vna consistit in simplici vicissitudine & successione cognitionum, aut voluntatum, quarum una alteri succedit, sine ulla oppositione & contrarietate. Altera est interactus voluntatis, aut intellectus contrarios inter se. Cum quis verbi gratia cognoscit modò esse falsum, illud ipsum quod antea indicabat esse verum. Aut modò non vult illud ipsum, & in istisdem circumstantiis, quod antea volebat. Vtraque autem mutationem realem & physicam esse puto, id est, fieri per actum intellectus aut voluntatis distinctum in re

à potentia cognoscente: quia natura intellectualis, quae est capax illius vicissitudinis, & ignorantiae, aut inconstantiae, & contrarietatis, est finita & limitata, seu creata: adeoque est incapax ut per suam solam substantiam sit intellectio & volitio omnium obiectorum, quae cognoscit aut vult. Idque puto colligi ex Scriptura & Sanctis Patribus, qui ex eo quòd Deus sit aeternus, immortalis, & immutabilis, inferunt Deum non posse transire ab vno actu intellectus aut voluntatis ad alium: & talem mutationem esse quoddam genus mortis, & mutationem simpliciter dictam, qualis est mutatio intellectus, aut voluntatis humanae patientis talem vicissitudinem, aut contrarietatem & inconstantiám. Num. 23. *Non est Deus quasi homo ut mentiar, nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, non facies? Locutus est, & non implebit? 1. Reg. 15. Triumphator in Israel non parces, & penititudine non flectetur, neque enim homo est ut agat penitentiam, id est, ut eum peniteat sui decreti, & idque muret & retractet. Et Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obnubratio.* Quòd potissimè dictum est de libera Dei voluntate nos generandi verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius: quemadmodum ex textu ipso manifestum est. Testimonia Patrum in eandem sententiam adducemus paulò post.*

Atque hinc sequitur huiusmodi mutationem esse speciatim eandem comprehensam in secundo vel tertio genere mutabilitatis supra explicato, eandemque ob causam removeri à Deo debere. Speciatim verò illam permissis à Deo reijciunt sancti Patres, August. lib. 12. confess. cap. 15. *Num dicetis falsa esse quae mihi veritas voce forti in aures interiorum dicit de vera aeternitate Creatoris, quod nequaquam eius substantia per tempora variatur: nec eius voluntas extra eius substantiam sit? Vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud, sed semel & simul, & semper, velle omnia quae vult: non iterum & iterum: neque nunc ista, nunc illa: nec velle postea quod nolbat, aut nolle quod prius volebat. Quia talis voluntas mutabilis est: & omne mutabile aeternum non est. Deus autem noster aeternus est. Item quod mihi dicitur in aures interiorum, expectatio rerum venturarum sit contrarius eum veneris: idemque conceptus memoria cum praeteritis: omnis porro intentio quae ita variatur, mutabilis est. Et omne mutabile aeternum non est. Deus autem noster aeternus est. Hac colligo atque coniungo, & inuenio Deum meum, Deum aeternum, non aliqua tali nova voluntate condidisse creaturam, nec futurum eius transitorium aliquid pati. Haec ibi August. quibus verbis infert Deum non mutare vllò modo cogitationes suas, aut volitiones: ex eo quòd est aeternus & immutabilis. Idem inferunt ex Dei immortalitate, independentia, & summa natura perfectione Bernardus serm. 81. in Conica, prope medium.*

Probatut ex sanctis Patribus.

August.

Bernard.

Fulgent.
Hilarius.
Gregor.
August.

Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 12. initio, Hilarius in Psal. 2. ad illa verba: *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, & Gregor. lib. 16. Moral. cap. 17. vbi sic ait: *Sicut immutabilis natura est Deus, ita & immutabilis cogitatione*. Idem August. lib. 13. Confess. cap. 16. omnem penitus mutationem cognitionis & voluntatis à Deo remouet his verbis: *Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter*. Et lib. 11. de ciuit. cap. 21. Ille, inquit, non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt: ita vt illa quidem quae temporaliter sunt, & futura nondum sunt, & praesentia iam sunt, & praeterita iam non sunt. Ipse vero haec omnia, stabili ac sempiterna praesentia comprehendit &c. Nec aliter nunc, nec aliter antea, & aliter postea. Quonia non sicut nostra, ita & eius quoque scientia, trium temporum, praesentis videlicet, praeteriti, vel futuri varietate mutatur, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim eius intentio de cogitatione in cogitationem transiit, in cuius incorporeo intuitu simul adsunt cuncta quae nouit. Et lib. 32. de ciuit. cap. 17. In Deo non alteram procedentem altera subsequens mutatur, aut sustulit voluntatem: sed una eademque sempiterna & immutabili voluntate, res quas condidit, & vt prius non essent egit, quamdiu non fuerunt: & vt posterius essent, quando esse ceperunt. Et tract. 23. in Ioan. post medium sic ait: *Transi omnem mutabilem Spiritum. Transi Spiritum qui modo scit, modo nescit, modo meminit, modo obliuiscitur: vult quod nolebat, non vult quod volebat: siue patitur iam istas mutabiles, siue pati possit. Transi haec omnia: non inuenis in Deo aliquid mutabilitatis: non aliquid quod aliter nunc est, aliter paulo ante fuerit*. Similia habent Cyrillus lib. 11. Theauri in medio, Basiliius, Origenes, Ambrosius, Gregor. Magnus, Prosperus, & alij Patres, locis à Gillio citatis lib. 2. tract. 8. cap. 8. & à Didaco Ruis disp. 16. de voluntate Dei, sect. 1.

Idem probatur ex Scriptura.

Idem non obscure docet scriptura Mal. 3. 2. *Consilium Domini in aeternum manet, cogitationes cordis eius à generatione in generationem*: id est, manet semper eadē & inuariabiles ab aeterno in aeternum. Et Proverb. 19. v. 21. *Multa cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit*. Et Ephes. 1. v. 11. Paulus affirmat Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suae. Consilium inquam, non temporaneum, sed aeternum, iuxta illud quod paulo ante dixerat v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*. Et vt optime S. Augustinus lib. 12. de Ciuitate, cap. 17. *Ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibet consilium*. Atque in hanc veritatem tanquam certissimam conueniunt omnes Theologi, vt Gillius testatur eodem tract. cap. 10. n. 1. exceptis paucis Nominalibus: multique affirmant esse de fide, licet in eius ratione assignanda non consentiant. Optime esse mihi videtur illa quem tradunt Sares disp. 30. Metaph. sect. 9. num. 58. Gillius cap. cxi. & Ruis eadem disp. sect. 3. aliquot plures: quia scilicet illa vicissitudo actuum

Probat etiam ratione. Sares. Gillius. Ruis.

non fit sine physica mutatione naturae eousque imperfectae & limitatae, vt paulo ante diximus: Item quia vicissitudo in huiusmodi actibus continet aliquam imperfectionem Deo repugnantem: quae in actibus quidem intellectus manifesta est: nam si Deus aliquid de nouo cognosceret, aut alio modo sibi intrinseco cognosceret; antea illud ignorasset, aut non perfectissime semper illud cognosceret. Vel si sciret aliquid omnino cognoscere, aut eodem modo intrinseco cognoscere; esset iam in illud cogitatione mutata, vel antea fuisset, ignorantia ad cuius rei, aut imperfecta eius notitia. Quoad actus autem voluntatis, esset in Deo leuitas aliqua, & inconstantia, si Deus habens ab aeterno perfectissimam cognitionem, & quae nullam deinceps potest habere maiorem, omnium obiectorum & motiuorum volendi, aliter se haberet secundum voluntatem. Illo enim est inconstans in voluntate, qui aliter se habet quam antea in volendo, aut non volendo, aut nolendo, vel nolendo, nullam melius cognitam noua ratione cur aliter se habeat. Addi potest Dei summam perfectionem requirere, vt eius actus omnes tam voluntatis quam intellectus perfectissime & plenissime attingant obiectum in quod cadunt, complectendo simul omnes illius differentias & vicissitudines temporum, si quas habet: ita vt V.g. cognitio diuina de mysterio Incarnationis, illam simul & inuariabiliter, quantum est ex parte sui, attingat, & vt futuram, pro eo tempore quo futura fuit: & vt praesentem, pro eo tempore quo extitit: & vt praeteritam, pro reliquo deinceps. Similiterque volitio Dei efficax incarnationem respiciat indissolubiler & inuariabiliter ex parte sui, vt futuram, praesentem, & praeteritam, secundum varias differentias temporis quibuscum comparatur.

Mutabilitas secundum cognitionem & voluntatem inuoluit imperfectionem.

Atque haec rationes excludunt à Deo omnem penitus mutabilitatem cognitionum & actuum voluntatis; etiam illam quae consistit in simplici vicissitudine & successione, sine vlla oppositione. Multo vero magis eam quae foret inter actus contrarios, qualis in nobis contingit, cum iudicamus esse factum, illud ipsum quod antea iudicabamus esse verum: aut nolumus illud ipsum, quod antea volebamus in eisdem circumstantiis: vel contra, volumus quod nolebamus, mutando propositum in contrarium, aut penitendo prioris consilij. Quae mutatio, quia maiorem arguit imperfectionem, quam praecedens, multo magis à Deo remouenda est, velut ipso indigna. Neque obsunt haec & similia Scripturae loca: *Poenitentiam enim quod hominem fecisset in terra*, Genesis 6. *Mutatus es mihi in crudelem*, Iob. 30. *Si poenitentiam egeris genis illa à malo suo quod locutus sum aduersus eum: agam & ega poenitentiam super malo quod cogitasti vt facerem ei*, Hierem. 18. v. 8. *Haec enim omnia, vt recte ait Origenes homil. 23. in Numeros, ante medium, tropico & humano more accipienda sunt ab Scripturae discipulis. Aliena porro est diuina*

natura ab omni passionis & permutationis affectu: in illo semper beatitudinis apice immobilis & inconcussa perdurans. Quod verò dicitur Sapient. 7. Omnis nobilissimus mobilis est sapientia: actiue, non passiuè intelligendum est: quòd scilicet omnia moueat & mutet, ipsa immota & immutata permanens.

IO.
 Cætera præter Deum sunt mutabilia.

Iam verò quòd cætera præter Deum absolute & simpliciter mutabilia sint, atque ita solus Deus absolute immutabilis, vt in secunda parte responsi diximus, patet ex contingencia & imperfectione creaturæ cuiuslibet. Cùm enim quauis creatura sit contingens quoad esse, & à Dei libertate pendeat vt sit vel non sit: si est, potest absolute non esse: & si non est, potest esse, atque ita mutari substantialiter quoad esse primarium, latè sumendo mutationem, vt hîc facimus, etiam pro transitu rei totius à non esse formali vel virtuali, ad esse: vel contrà ab esse, ad non esse. Neque potest creatura vlla ab hac saltem mutabilitate absolui. Fieri enim sequitur vt à Dei libertate non pendeat, neque absolute necessitate existat. Potest tamen aliquid ex hypothesi immutabile fieri, etiam aliquatenus ab intrinseco. Vt v. g. si ab æterno fuisset actus supernaturalis fidei de seipso enunciatus, *Ego nunquam mutabor*. Illi enim repugnat intrinseco subesse falsum actui fidei supernaturali. Neque mutari posset per diuinam potentiam prout ordinatur à sapientia. Quia sicut non potest Deus specialiter concurrere ad actum malum seu peccaminosum, ita neque ad actum falsum & erroneum: neque enim magis potest esse auctor erroris, quam peccati. Itaque non potest efficere vt falsus sit actus, cuius ipse est auctor & causa specialis. Actus autem supernaturalis, qualem istum esse supponimus, non potest fieri sine Dei concursu speciali, & auxilio gratiæ præuenientis & cooperantis. Ergo & c. Absolute tamen mutabile esset, quia liberè productus esset, & non produci potuisset, & ita esset, vt posset non esse. In eundem sensum interpretatur D. August. lib. 10. de Trin. cap. 1. illud 1. ad Timoth. cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem*: vbi ait immortalitatem aliquo modo habere creaturam, cùm & anima quodammodo immortalis esse dicatur, & sit: & nihilominus Apostolum dicere, *Solus habet immortalitatem*, quia vera immortalitas est quam nulla potest habere creatura, quoniam solius est creatoris. Et lib. 3. contra Maximin. cap. 12. *Solus Deus habet immortalitatem, qui non minus quam gratiâ, sed natura sua, nec potuit, nec potest aliqua commotione mutari: nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare.*

SECTIO II.

Soluuntur aliquot difficultates circa immutabilitatem Dei.

II.

Contra secundum genus mutabilitatis, quod à Deo reiecit, grauis occurrit

difficultas ex mysterio Incarnationis, in quo Verbum diuinum fuit vnitum physice & humanitati, ex eaque vnione Deus homo denominatur per intrinsecam denominationem, quippe desumptam à forma physice sibi vnita, & facta sibi intrinseca per vnionem. Ex quo sequitur Deum se habere intrinsece aliter quam antea, adeoque mutari; sicut mutatur paries cum ex non albo fit albus, per aduentum albedinis sibi physice vnita. Sed hæc difficultas grauior est, quam vt breuiter & obiter hîc expediti possit: quare in proprium locum ad tractatum de Incarnatione reijcienda est, vbi, Deo iuuante, pro merito examinabitur disp. 1. sect. 3. & 4.

Secundò, contra quartum genus mutabilitatis à Deo reiectum obijciunt, actus contingentes & liberos intellectus & voluntatis diuinæ potuisse non esse in Deo. Ergo Deus est mutabilis secundum illos: quia secundum illos potuit aliter se habere, quam nunc se habet. Nec obstat quòd ab æterno illos habuerit, & in æternum habiturus sit. Nam quemadmodum Deus esset mutabilis secundum esse primarium & substantiale, si potuisset non esse, & transiisset de non esse virtuali ad esse: quamuis re ipsa semper fuisset, & nunquam transiisset de non esse formali seu actuali, ad esse; quia quod est ab æterno, nunquam non fuit actu, tametsi virtualiter non fuerit, id est, potuerit non esse: Sic illi actus, quamuis æterni, sunt mutabiles, quatenus potuerunt non esse: & Deus in ordine ad illos est mutabilis, quia secundum illos potuit aliter se habere intrinsece, & eos non habere, aut habere oppositos.

Respondent aliqui, huiusmodi actus esse tantum denominationes extrinsecas, petitas ab obiectis in quæ tendunt contingenter aut liberè: ideoque Deum per illos non mutari; quia mutatio debet fieri per aliquid intrinsecum. Sed hæc responsio est planè improbabile. Nam illi actus sunt actus vitales, & vitales tendentiæ principij viuents in obiectum. Actus autem vitales sunt immanentes & intrinseci: ergo non sunt extrinsecæ tantum denominationes ab obiectis. Secundò, impossibile est veram & realem denominationem esse priorem forma denominante in qua fundatur: sed potius forma est prior necessariò, velut causa & fundamentum denominationis. At volitio Dei efficax est prior existentia obiecti quod efficaciter esse vult: ergo non est denominatio extrinsece sumpta à suo obiecto. Probatur minor, quia Dei volitio efficax, v. g. de mundo creando, est causa, cur mundus sit, aut futurus fuerit: Ideo enim mundus est, quia Deus voluit efficaciter illum producere: non contrà, ideo Deus voluit efficaciter mundum producere, quia mundus est.

Alij dicunt huiusmodi actus addere tantum actui necessario habitudinem quandam rationis ad obiectum contingenter cognitum, aut volitum: ideoque non inducere realè mutationem in Deum. Verum si per habitudinem

rationis, intelligunt figmentum rationis; falluntur manifestè. Deus enim verè à parte rei, & nullo intellectu fingente, cognoscit & vult contingenter & liberè. Sin autem solum intelligunt, nihil addere distinctum in re actui necessario, sed eundem actum à parte rei, qui tendit necessariò in aliqua obiecta, tendere contingenter in alia: verum quidem dicunt, sed non planè solvunt difficultatem, quomodo scilicet Deus non sit mutabilis secundùm illum modum se habendi ad obiecta contingentia, id est, secundum cognitionem, & volitionem liberam, cum potuerit alio modo intrinseco se habere quàm se habet. Quemadmodum res ipsa mutaretur, si nunc de nouo haberet novas cognitiones & volitiones, vt ex Scriptura & Patribus, ac ratione probauimus supra, num. 6. & sequentibus.

15. Addendum ergo est, ideo Deum non esse mutabilem, licet habeat ab æterno cognitiones aliquas & volitiones contingentes: quia illas habet per simplicem, & indistinctam à parte rei, tendentiam cognitionis & volitionis essentialis ac necessaria, quæ ratione sua infinita & excellentissima perfectionis sufficiens est, vt sine accessu vllius entitatis, aut entitatis distinctæ, extendatur contingenter & liberè ad obiecta contingentia, modo planè diuino, excellenti, perfecto, inuariabili, & in pace successione, ignorantia, incantantia, aut cuiusvis alterius imperfectionis. Cuius si capax esset intelligentia & voluntas diuina, esset finita limitata; adeoque creata, & insufficient vt per seipsam, sine aduentu & productione actus distincti, attingeret sua obiecta, vt diximus num. 8. Quod incommodum non sequitur ex modo excellentissimo cognoscendi & volendi obiecta contingentia, quem nos Deo tribuimus, & de quo plura suo loco dicemus.

16. Tertiò, contra idem genus immutabilitatis obiectum, Deum cognoscere nunc Incarnationem esse præteritam; tempore verò Moïsi, & Abrahamæ, cognoscebat non esse præteritam, sed futuram. Item Deus amat Petrum, quando est in statu gratiæ, & odit illum, quando est in statu peccati mortalis. Ergo est successio & variatio temporanea inter actus cognitionis & voluntatis diuinæ contingentes & liberæ. Confirmatur, quia alioquin Deus eundem simul amaret & odisset in perpetuum. Et nunc odit Beatos qui aliquando mortaliter peccarunt: ac vice versa eximè nunc amat plurimos damnatos, & Demones ipsos, qui aliquando habuerunt gradum excellentem gratiæ.

17. Respondeo, quando dicitur Deum iam amare quod a tea odit, vel contrà: aut nos se iam præteritum, quod norat antea futurum: locutionem esse ambigam. Vel enim particula, iam, & modo, referuntur ad actus diuinos, vt significant iam esse actus odij vel amoris, & antea non fuisse: atque ita falsa locutio est. Vel significant tantum variam

actus habitudinem, & determinationem ad obiectum, aut variam eiusdem habitudinis denominationem pro diuersa temporis differentia, quæ habitudo tota fuit ab æterno, sed variè obiectum respiciens, aut diuersam denominationem accipiens, prout ipsum in hac & illa differentia temporis variatur: vt sensus sit, Deum ab æterno & in æternum amare Petrum v. g. pro illo tempore quo iustus est, & ad effectus amoris eam destinare, aut illos erga ipsum pro tunc exercere: & eundem odisse pro illo tempore quo est peccator, effectusque odij sui erga illum vt talem edere: & hic sensus verus est, sed nobis nihil obest. Tota enim mutatio in creatura est, non in Deo, qui ab æterno omnia voluit, & intellexit, vnico actu simplicissimo & inuariato, & semper cognouit atque cognoscit Incarnationem vt futuram: pro eo tempore cuius computatione verè futura fuit: & vt præteritam, respectu temporis illius quo præsens fuit: atque vt præteritam, respectu temporis quo præterita est. Similiter vult nunc Deus, & semper voluit, atque voluit, Incarnationem vt futuram & vt exequendam, non respectu nostri temporis quo iam præterita est; sed respectu alterius eam antecedentis. Neque aliter eam vnquam voluit, aut vult, aut voluit incipere. Quare in Dei voluntate nulla est variatio.

18. Ad confirmationem Respondeo, amorem & odium diuinum pro diuersitate motiuorum varijs temporibus existentium, non esse actus contrarios, ita vt simul esse non possint in illa mente capacissima, & excellentissime infinita. Neque propterea sequitur quod nunc Deus odit Beatos vt Beatos, vel amat damnatos vt damnatos, & vt malos: sed tantum quod odium, quo Deus ab æterno odit eos qui aliquando fuerunt peccatores, pro eo statu quo erant peccatores, & in quantum peccatores; perseveret huc usque & in æternum; licet iam illi mutati sint à peccatoribus in sanctos & Beatos, amenturque à Deo vt tales, amor, pariter æterno, sed ad illos terminato vt iustos & amabiles, ac pro ea temporis differentia quæ sunt tales. Idemque dico vice versa de damnatis qui aliquando fuerunt in statu gratiæ.

19. Obijcit quartò, non posse stare libertatem diuinæ voluntatis cum immutabilitate eiusdem voluntatis circa actus liberos: id est, non potest Deus esse aut fuisse liber ad volendum, si propter immutabilitatem suæ voluntatis non potest deponere, aut mutare, actum quem semel habuerit: & semper habuerit omnem actum voluntatis quem nunc habet, non modò quoad entitatem, sed etiam quoad liberam tendentiam ad obiectum, quæ pariter ab æterno est, & quam non potest mutare, aut deponere. Hoc enim supposito, nunquam fuit potens ad illum actum habendum vel non habendum, non modò quoad substantiam actus, sed etiam quoad tendentiam in obiectum contingens. Vel enim tunc potens tota æternitate: vel aliqua eius parte

Cur Deus non sit mutabilis, licet habeat actus contingentes & liberos

Deus inuariabiliter cognoscit & vult obiecta mutabilia

Deus eundem amaret simul & odit, pro diuerso illius statu successiuo.

Quomodo staret libertas Dei cum eius immutabilitate

INFINITUS
DEI
II.

aut instanti. Non primum: quia non fuit potens hac & illa parte æternitatis, & alijs omnibus collectiue sumptis: alioqui in hac & illa parte & ceteris collectiue sumptis, potuit, & potest, & poterit, non habere talem actum: quod est falsum. Quia nunc v. g. non potest non habere: nec anno ante, nec sæculo, nec vlla alia parte vel instanti æternitatis, ante quam non sit alius alioqui daretur primum in æternitate) & consequenter ante quam non fuerit ille actus à quo voluntas diuina cessare non potest: adeoque iam non potest illum mutare vel deponere. Et hoc argumentum æquè probat secundum membrum distinctionis supra facta non posse asseri: quia nullum est instans æternitatis in quo non præxiterit actus liber, ac libera Dei determinatio ad obiectum contingenter & liberè volitum: aut datur primum instans durationis in æternitate; quod non minus est impossibile, quàm dari vltimum. Posito autem quòd actus sit; non potest amplius non esse: ergo nullum est instans in quo potuerit non esse. Ergo nullum est instans in quo non fuerit necessarius. Ergo nunquam fuit liber.

Item si Deus fuit liber & indifferens, illa indifferencia fuit aliquando; Nam quicquid est, aliquando est, & de illo est verum aliquando dicere, nunc est. At nunquam fuit indifferencia diuinæ voluntatis circa huiusmodi actum. Quia vel fuit in primo instanti æternitatis, ante quod scilicet non fuerit aliud: vel fuit in aliquo alio instanti æternitatis, ante quod fuit aliud. Non primum: quia nullum est instans in æternitate ante quod non sit aliud. Non etiam secundum: quia in quocumque instanti habente aliud ante se, præcessit determinatio ad talem actum cum immutabilitate Dei, propter quam non potest illum non habere, & non est liber ad illum nunc exercendum, vel non exercendum: neque illum deponendum, aut mutandum in aliud.

21.
Quomodo
Deus ab
æterno se
de deo de-
termina-
uit?

Ad primum Respondeo, Deum fuisse potentem ad habendum actum illum vel non habendum, seu potius ad tendendum vel non tendendum in obiectum contingens, antecedenter ratione prius in tota æternitate collectiue sumpta: prius, inquam, non in quo, (quasi in aliquo instanti durationis fuerit Deus, & non fuerit illa tendentia) sed prius tantum prioritate à quo: quatenus licet illa tendentia coexistit semper diuinæ voluntati: voluntas tamen diuina non fuit, de se, & absolute sumpta, necessariò alligata illi tendentia: Sed illam habuit, quia voluit habere, & æquè potuit non habere si voluisset, vel habere oppositam: quia neutra illi necessitas est: & neutra illi per se conuenit absolute necessitate: Sed ex libera electione ad hanc aut illam se determinauit, vt voluit. Et quauis ex suppositione quòd se determinauerit, non sit amplius libera ad actum illum non habendum, nullumque instans sit assignabile,

in quo determinate non iam ante præxiterit: hinc tamen non sequitur, actum fuisse aut esse necessarium absolute; sed tantum ex hypothese determinationis liberè positæ ab ipsa voluntate, quæ hanc determinationem seu tendentiam præ alia elegit. Porro hæc suppositio antecedens quocumque instans æternitatis distributiue sumptum, ex qua sequitur impotentia ad oppositum præcedentis determinationis, propter immutabilitatem diuinæ voluntatis: hæc, inquam, suppositio non potest fieri pro tota æternitate collectiue sumpta: quia illa determinatio non præcessit totam æternitatem. Alioquin antetam æternitatem fuisset instans, aut tempus aliquod. Estque omnino evidens Deum non tota æternitate collectiue sumptam à parte ante, ita se habuisse, ac nunc se habet, aut in quolibet eius instanti, vel parte virtuali. Nam in quolibet instanti ita se habet, vt fuerit antea determinatus, & habuerit actum, quem idcirco non potest non habere ex hac suppositione. At non habuit actum, neque fuit determinatus, ante totam æternitatem: alioquin esset aliquod instans, aut tempus, ante totam æternitatem.

In collectiuis autem quicquid conuenit toti collectioni, non conuenit partibus seorsim sumptis, ac ne quidem vlli interdum. Vt nulla pars virtualis extensionis diuinæ, est imensa. Nulla pars durationis eius est æterna. Nullus apostolus est duodecim apostoli. Faluntur verò qui putant necessarium esse, causam liberam præcedere, duratione suum effectum, & non posse operari cum primum est: aut ab æterno, si ab æterno est. Etenim causa libera non plus requiritur ad operandum, quàm causa necessaria. Ac causæ necessariae possunt operari cum primum sunt, & operantur si habent omnia ad operandum necessaria: Vt sol, primo instanti quo fuit, illuminauit. Ergo causæ liberæ possunt operari cum primum sunt, modò habeant omnia necessaria, nempe sufficientem cognitionem obiecti liberè appetibilis. Ergo potest actus aut effectus liber esse coæuus iuxta causæ liberæ. Ac sicut causa libera, quæ cepit esse in tempore, potuit liberè se determinare, cum primum fuit, seruatâ solum natura prioritate seu dependentiâ inter ipsam & actum, vel effectum liberum (quo pacto Angeli & primi parentis cessatur fuisse liberè operari in primo instanti suæ creationis) ita Deus ab æterno liberè voluit, neque prius fuit quàm voluit, sed fuit solum ordo rationis inter voluntatem & volitionem liberam, vt talem, quatenus voluntas non illam habuit, ex necessitate, sed quia voluit pro libero, & elegit tali modo tendere in obiectum, potuitque absolute non tendere, aut opposito modo tendere.

Ad secundum Respondeo, illam indifferenciam fuisse in æternitate collectiue sumptam: quatenus voluntas diuina absolute sumpta non habuit ex necessitate hanc determinationem: & nulla præcessit hypothesis, quæ positâ, non potuerit non habere talem deter-

22.
Quicquid
conuenit
toti colle-
ctioni, non
conuenit
partibus
seorsim
sumptis.

Causa li-
bera potest
operari cum
primum
est.

Quicquid est, aliquando est.

minationem; sed illam habuit ab aeterno quia voluit ita ut hypothefis ab electione voluntatis pependerit. Quicquid autem est, aliquando est, & de illo verum est aliquando dicere quod sit, fumendo hanc particulam, *aliquando*, vel pro aliquo instanti, aut aliquo tempore distributiue, vel pro tota aeternitate collectiue, quo pacto dicimus voluntatem diuinam fuisse indifferentem ab aeterno. Verum enim est, quod voluntas diuina non fuerit de se alligata necessarii huic determinationi; vnde illa non fuit absolute necessaria; & quod ante totam aeternitatem non praecesserit hypothefis, propter quam haec determinatio fuerit necessaria ex suppositione, ita ut voluntas non potuerit illam non habere ab aeterno, propter antecedentem hypothefim immutabilem.

24.

D, Thom.

Obijciunt quidam, Deus in tempore operatur: ergo mutatur: tum quia actio est in agente, ut docet S. Thom. 1. p. q. 45. a. 3. ad 1. & ex operatione temporanea proueniunt Deo reales relationes, & denominationes Creatoris & Domini: tum etiam quia intelligi nequit, quomodo Deus operetur in tempore vi aeterni decreti, sine noua & actuali applicatione potentiae executivae, id est, omnipotentiae diuinae; quae applicatio fieri debet per actum aliquem voluntatis. Sicut nos nihil libere operamur per potentiam executiuam, nisi solius decreti praeteriti, sine nouo actu efficaci voluntatis, applicante potentiam ad operandum hinc & nunc. Si autem est in Deo noua volitio, est mutatio ut supra ostendimus.

25.

Dens est immutabilis, quia operetur in tempore.

Respondeo negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dico, actionem non esse in agente per modum formae intrinsecae, siue distinctae in se, siue indistinctae: sed esse implicititer ipsam virtutem actiuam, quae seipsa immediatè ponit effectum sine vlllo intermedio, re vel ratione distincta: alioqui enim daretur processus in infinitum, ut alibi supra explicabitur. In eumque sensum intelligendus est S. Thom. loco citato, & quotquot alij cum illo rectè de actione sentiunt. Denominationes verd illae, Creatoris, Domini, & similes, sunt extrinsecae denominationes, sumptae ex coexistètia creaturarum in tempore productarum à Deo, qui titulo creationis est supremus rerum omnium Dominus, diciturque Creator, ex coexistètia rerum quas creauit: sicut homo dicitur pater, ex coexistètia filij quem genuit. Relationes autem categoriae, quae à multis censentur resultare ex actione, inter agens & effectum, sunt tantum relationes secundum dici, & extrinsecae denominationes, propter quas res denominata non debet dici mutari. Et quamuis in creaturis exurgerent, ut mutantur, relationes huiusmodi distinctae à fundamento & termino: non sequeretur exurgere in Deo, qui non est in potentia ad tale quid, neque per aliud perfici potest.

26.

Ad secundam probationem consequentia Respondeo, Deum non agere nouo actu vo-

luntatis, ut applicet potentiam executiuam ad operandum hinc & nunc: sed sufficere decretum aeternum quo voluit, ac semper vult, hoc instanti operari. Quod decretum, cum perseueret vsque ad illud instans, sufficiens est, ut tunc potentiam applicet. Neque incredibile videri debet, sed potius vana consentaneum Dei maiestati, decretum illud diuinum semper durans aequalere duobus actibus nostrae voluntatis: quorum vno decernimus operari in futurum: altero volumus hinc & nunc efficaciter, applicamusque actu potentiam voluntati subiectas. Et quamuis illud decretum diuinum fuerit vnum & idem ab aeterno; non propterea debuit operari, seu applicare actu potentiam, ad operandum ab aeterno: quia non fuit decretum de operando ab aeterno, sed de operando eo tempore, vel instanti, quo Deus libere statuit operari.

Deus non agit nouo actu voluntatis ut operetur de nouo.

SECTIO III.

An, & quomodo, Deus sit aeternus?

Deum aeternum esse docet Scriptura Isaia 40. Ecclesiast. 1. 8. 2. Machab. 1. & alibi sapientimè. Idem expressè traditur in Aeternensi Concilio, capite Firmiter, de summa Trinitate, & in Symbolo Athanasij, asseriturque à Sanctis Patribus & Theologis omnibus tanquam dogma fide diuina certissimum. Patet etiam ratione naturali. Etenim quia Deus simpliciter & absolute immutabilis est, vnde sequitur ut absolute necessitate semper existat (quod est proprie aeternum esse) & neque finem, neque initium offendi habere possit: nam alioqui mutaretur vel à non esse ad esse, si inciperet esse: vel ab esse ad non esse, si finiret esse. Tum etiam quia Deus est, ens à se & absolute necessarium. Omnino enim necesse est aliquod ens necessarium: quia impossibile est omnia esse contingentia. Si enim omnia essent contingentia, possent non esse. Ergo fieri posset ut nihil esset. Ergo & ut nihil possibile esset. Nam in eo casu in quo nihil esset, nihil quocumque esse posset. Neque enim à seipso: quia quod non est, non potest esse causa productiua sui ipsius, neque vllius alterius. Non etiam ab alio: quia nihil aliud esset; siquidem supponimus nihil omnino esse.

27.

Probatum Dei aeternitas.

28.

Cetera vero omnia praeter Deum, cum absolute contingentia sint, & mutabilia secundum esse, quatenus saltem possunt absolute non esse, non sunt aeterna strictè ac proprie, nec esse possunt: quia non possunt non esse contingentia & absolute non necessaria. Atque ita solus Deus strictè ac proprie aeternus est, iuxta illud 2. Machab. 1. Domine Deus omnium creator &c. Solus praestans, solus iustus, omnipotens, & aeternus. An verd creaturae alio sensu aeternae esse possint, dicemus paulo post.

Solus Deus est aeternus.

Ad maiorem huius attributi declarationem quinque explicanda sunt. Primum, quid sit aeternitas strictè sumpta? Secundò, quomodo differat ab alijs durationibus? Tertio, quomodo distinguatur ab attributo immutabilitatis? Quarto, an sit successiva? Quintò, an omnia etiam futura sint praesentia aeternitati, & Deo ab aeterno?

29.

Aeternitas
quid sit?

Boetius.

D. Thomas

Circa primum, dico primò aeternitatem strictè sumptam nihil aliud esse, quam durationem quae ex se est incapax termini, & in sua intrinseca ratione infinitatem in durando, & necessitatem absolutam in essendo includit. Vel, ut definit Boetius lib. 3. de consolatione profa 6. quam definitionem referet & approbat D. Thomas quaest. 10. a. 1. Aeternitas est interminabilis vita tota simul & perfecta possessio. Dicitur *interminabilis*, id est, carens omni principio & fine, non solum actu sed etiam de potentia absoluta. *Vita*, quia ensita carens principio & fine, non potest non esse vivens, cum sit adeo perfectum & excellens. *Tota simul*: quia non successiva: neque enim esse talis entis in successione & fluxu positum est, sed excellentissimè permanens & fixum. Dicitur denique, *Et perfecta possessio*: quia independens, inamissibilis, & absolute necessaria. Vel, ut alij volunt, quia carens successione, quam aeternitas dicit, est non tantum in ipso esse substantiali, sed etiam in omni perfectione, & in omni actu interno rei aeternae, ita ut in omnibus invariabilis sit. Sed ut rectè notat Suarez disp. 50. Metaph. sectione 3. num. 8. haec differentia sic explicata, non est necessaria ad conceptum aeternitatis: & loco *Vita*, melius esset dicere, *existentia*. Quia aeternitas non tantum est vita, sed generatim cuiuscunque existentiae interminabilis, seu cuiuscunque rei interminabiliter existentis. Cuiusmodi sunt in Deo attributa omnia absolute necessaria: non tamen contingentia & libera, vana sunt. Licet etiam verum sit, Deum, qui solus strictè & propriè est aeternus, summam habere uniformitatem & invariabilitatem simpliciter realem, non modo in esse, sed & in operari, & in omnibus perfectionibus intrinsicis: in eoque maxime differre ab alijs substantijs spiritualibus, quod haec componunt successivè cum actibus vitalibus, unde carent uniformitate maxima. Haec tamen differentia aeternitati accidentaria est. Quia licet Deus realiter variaretur secundum operationes contingentes & liberas: si tamen in esse substantiali absolutam necessitatem haberet, esset aeternus secundum illud, & verè est: atque etiam secundum omnes rationes formales absolute necessarias.

30.

Præter hunc autem conceptum aeternitatis strictum & proprium, aliter sumitur aliquando latius, & minus propriè, tribus modis. Primum, pro duratione quae quomodocunque causet principio & fine. Secundò, pro duratione autè vel post interminatà, qualis est duratio Angelorum, & animarum rationa-

lium, & visionis beatificae, quae ideo dicitur vita aeterna, quia scilicet interminatà à parte post. Tertio, pro duratione valde longà, licet vtrinque terminatà, quae morali amplificatione aeterna dicitur.

Circa secundum, dico secundò entium quaedam connaturaliter existere indivisibiliter & sine mora; ut instantia temporis, si quae sunt: quaedam morari & persistere in esse. Priora non durant: quia duratio est persistentia in esse: pertinent tamen ad praedicamentum *Quando*, cuius abstractum generale non est duratio, sed, *existere aliquando*, abstrahendo ab existentia indivisibili vel indivisibili & instantanea: Sicut genus summum praedicamenti *Vbi*, est vbiatio, seu existere alicubi: abstrahendo ab *Vbi* indivisibili, & indivisibili, extenso & inextenso. Posterioris generis entia duram propriè: & illorù quadruplex est differentia. Quorundam enim esse connaturaliter est totum simul, ut Angelorum, caelorum & animarum rationalium. Quorundam autem in partibus successivis prioribus posterioribusque consistit: ut motus localis v. g. iuxta eorum opinionem qui putant huiusmodi motum esse modum aut entitatum distinctam à substantia, constantem partibus fluentibus, & in successione continua positus, simulque impossibilibus. Rariorum priorum quaedam postquam semel producta sunt, connaturaliter existunt semper, ut Angeli & animae rationales, & materia prima; quatenus saltem vi causarum naturalium non possunt destrui. Quaedam connaturaliter defectibilia sunt, ut plantae, animalia, intellectiones, volitiones, calor, frigus, & similia. Præter quae omnia unum est, nempe unum & primum ens, quod absolute necessitate existit, & omnem terminum durationis excludit. Duratio entium successivorum dicitur tempus: permanentium vero naturaliter incorruptibilitatem suam. Permanentium naturaliter corruptibilium, instans discretum: & duratio multorum huiusmodi entium vocatur tempus discretum. Duratio denique entis absolute indefectibilis & interminabilis, aeternitas est: quae à tempore differt, quia non successiva: à reliquis, quae etiam à tempore, quia absolute indefectibilis & omnimodè necessaria.

Alij huiusmodi durationes ita definiunt & distinguunt, ut durationem quae caret rerum permanentium, carentem principio & fine, vocent aeternitatem latè: quam postea subdividunt in strictam, *Dei* propriam; & aliam creaturis communicabilem, licet re ipsa non communicent. Eam vero quae principium quidem habet, sed sine caret, vel contra, vocant aeternum. Illam autem quae finem & initium habet, vocant instans vel tempus discretum, si rei permanentis est. Successivam vero quaecumque, siue finitam, siue non, tempus appellant. In quo ultimo nomine conveniunt: in ceteris assigant differentias valde accidentarias durationi & inaptas

31.

Quomodo
differt aeternitas ab alijs durationibus?Duratio
quadruplex.

inetrās contrahere summum genus duratio-
nis ad species eius proprias, si facti tantum
vel euentus rationem habent, & non radices
permanētiae, ac modi intrinseci permanendi.

Circa tertium, dico tertio aternitatem
strictē & propriē sumptam differre ratione
ab immutabilitate. Nam immutabilitas ex-
primit formaliter negationem tantum
mutationis actualis & possibilis, significat-
que stabilitatem & constantiam necessariam
in omnibus intrinsecis perfectionibus, tam
substantialibus & essentialibus; quam non
essentialibus; quam stabilitatem huiusmo-
di negatione explicamus. Aternitas verò
directē & formalitē exprimit durationem
& persistētiam diuini esse, siue diuinum
esse perseuerans & persistens cum quadam
eminenti longitudine interminabili, æqui-
valente tempori infinito, antē & post inter-
minato. Latius verò sumpta aternitas pro
duratione quomodocumque interminatā ex
vtraque parte, multo magis differt ab im-
mutabilitate, ac sine illa esse potest: quia
potest aliquid esse aternum, id est, intermi-
natum quoad durationem antē & post: & ta-
men esse mutabile, non modo secundum
esse aduentitium (quod aternitati secundum
esse substantiale extrinsecū esse diximus paulò
antea) verum etiam secundū esse substantia-
le & primum, nec reipsa nunquam sic mu-
tetur. Et quomuis extra Deum nihil de fa-
cto sit productum ab aerno; sed præcesserit
negatio aternitatis quamlibet creatam existen-
tiam, vt colligitur ex capite *Firmior*, de
summa Trinit. probabilis tamen arbitror
cum D. Thom. quæst. 46. art. 1. potuisse
creaturas ab aerno produci: Nam ex parte
Dei, Deus à quo est, est adæquatē
& completē potens ad agendum: ex parte
verò effectus, potest is absolutē non præce-
di duratione à causa, vt ex ab illuminante
non præceditur. Item ab aerno non im-
plicat dari productionem, vt constat ex pro-
ductione Verbi & Spiritus sancti. Et quam-
uis hæc non sit causatio, propter absolutam
necessitatem, & independentiam Verbi, &
Spiritus sancti, à principio suæ originis:
nulla tamen respectu creaturarum est spe-
cialis implicatio ratione causalitatis, neque
ratione libertatis. Deus enim ab aerno liber
fuit, & ab aerno circa nulla exegit. Sicut
autem essent ab aerno produci, ita & in
aeternum persistere, quemadmodum reipsa
constat, à parte post, Angelos & animas ra-
tionales aternas fore. Diligentè autem no-
tandum est, argumenta quibus communiter
contendi solet, implicare contradictionem,
quicquam creari ab aerno; pugnat non
modo contra processiones aternas persona-
rum diuinarum: sed & contra existentiam
Dei aternam, & virtualem extensionem di-
uine durationis infinitam à parte antē, &
adæquatē correspondentem infinito tempori
imaginario; quod à parte ante fluxisse ima-
ginamur ad explicandam durationem di-
uinam: vel contra actum Dei aternos contin-

To. ad I.

gentes & liberos. Quare nullam contradi-
ctionem veram ostendunt, sed quicquid ha-
beant difficultatis, reipsa non concludunt, &
ratione aliunde certissima, difficultas in ima-
ginatione, & imperfectione intellectus no-
stri fundata, corrigenda est: quamuis alio-
qui sit maxima, & humano ingenio natura-
liter insuperabilis. An verò etiam mundus
cum ea rerum successione que nunc est, po-
tuerit esse ab aerno, dicemus alibi disp. 33.
sect. 1. Vbi ostendemus talem successione ho-
minum v. g. aliorum ab alijs, non potuisse
aeternam esse: quia debuit esse aliquis imme-
diatē Deo productus, à quo reliqui sint ge-
niti: adeoque primus duratione, finitè alios
præcedens.

Addo, non implicare, produci ab aerno
creaturam cum intrinseca, sed hypothetica,
necessitate in aeternum existendi. Vt si ab a-
terno Deus cum humano intellectu produ-
xisset actum supernaturalem asserentem se
seipso, se toti aternitati diuina coexistere
adæquatē. Sicut enim actus supernaturales
repugnat falsitas ab intrinseco: ita huiusmo-
di actui repugnet ab intrinseco incipere
vel desinere. Similiter dari potuit actus su-
pernaturalis, asserens se nunquam mutatum
iri, se nunquam vniuersum esse Verbo hypo-
statice, mediatē vel immediatē &c. que
ita esse eatenus immutabilis & non vnibilis
hypostaticè ab intrinseco, quia verus ab in-
trinseco. Immutabilis, inquam, non ab-
solutē, sed ex suppositione existentie se-
mel datæ: in qua tamen danda mutatio
quædam fuit, vel formalis, si
re productus est, & de non esse formali
& actuali transit ad esse: vel virtualis, si
ab aerno: quatenus potuit non esse; &
loco status non essendi, in quo aliqui
potuit, accepit esse contingenter & libe-
rè, quamuis in aeternum deinceps im-
mutabiliter sit illud retentum, neque mu-
tari possit per diuinam potentiam, aut or-
dinatam à sapientia, vt supra diximus n. 10.

Qui autem dicunt spatium imaginarium
esse actuale & positium: debent conse-
quenter dicere aeternum esse, & quidem
strictē & indefectibiliter: atque vt to-
quantur coherentem, debent admittere
aliud spatium temporaneum, absolutē ne-
cessarium, siue tempus absolutē aeternum.
Sed hoc omnino falsum est. Nam
Deus, & alia entia, aequè possunt existe-
re in seipsis, ac spatium illud: aut si non
possunt, ostendatur contradictio. Alio-
qui malè dicitur illud ens absolutē ne-
cessarium, vt in illo recipiantur alia: Deo
que iniuriosum est, atque fidei Catho-
licæ dissentaneum, asserere ens Deo
prius, absolutē necessarium eiusque iu-
ri & dependentiæ minime subiectum. Ne-
que loquuntur coherentem Theologi il-
li, qui tale spatium admittunt esse à se:
& ex felicitate essendi à se, colligunt
Deum, quia est ens à se, & ab alio indepen-
dens, esse illimitatum & infinitum in omni

33.
Aternitas
quomodo
differat ab
immutabili-
tate.

Potuerunt
creaturas
ab aerno
produci.

Possunt
etiam per-
petuo du-
rare.

34.

Creatura,
aliqua
potest esse
aliquo mo-
do immu-
tabilis
ab intrin-
seco.

35.

Spacia ima-
giniaria sūt
fictitia, &
quæ ac re-
pus imagi-
narium

genere perfectionis: cum tale spatium ve-
liunt esse a se, & tamen esse imperfectissi-
mum.

36
Aeternitas
est virtua-
liter tantu
successiva.

Circa quartum, dico quartu aeternita-
tem (vt & quamlibet aliam durationem
rei simultanea, id est, qua totum suum
esse simul habet, non successiue per partes
prioris & posteriores tempore, alias alijs
succedentibus) carere formali successione
qua consistit in fluxu huiusmodi partium si-
bi succedentium: non carere tamen virtua-
li successione, qua in eo consistit, quod
Deus ex infinita p[re]sentia existentia, &
permanentia indefectibilis, aequalitat
tempori infinito, & infinitis eius partibus
ab aeterno & in aeternum sibi succeden-
bus, si tales partes haberet. Atque de se con-
plete potens ad coexistendum adequat[um] ex-
tensionem successiuam infinitam, si daretur.

37
Omnia su
Deo pra
ent. ob
iectiue ab
aeterno, sed
non reali-
ter.

Vnde facile est intelligere quod vltimo
quaesitum fuit, An omnia, etiam futura,
sunt praesentia aeternitati, & Deo ab aeter-
no? Dicendum est enim omnia quae in
quacumque temporis differentia sunt, esse
quidem praesentia, & coexistere aeternitati
diuinae, eidem realiter sumpta, vtpote
simplici & indiuisibili realiter: at non to-
ti formaliter & adequat[um], secundum om-
nem aequiualentiam & amplitudinem vir-
tualem, quam habet infinitam, secun-
dum quam infinite praecessit omnia quae in
tempore condidit: & secundum ean-
dem inadequat[um], modo responderet vni
ius existenti, modo alteri succedenti: Si-
cut per totalem amplitudinem virtuales
hic coexistit intim[us] Petro, illic Paulo,
neutri solum, & adequat[um] ex parte sui,
quasi per alijs intim[us] coexistat. Quod si
aliquando Patres dicunt omnia esse pra-
sentia Deo ab aeterno, & nihil esse futu-
rum respectu alius: intelligendi sunt de
praesentia effectiua, respectu cognitionis
quam a omnibus habet ab aeterno perfe-
ctissimam: at non de physica praesentia,
qua inter alia esse nequit, nisi vtrumque
simul existat. Creaturae autem non exti-
terunt ab aeterno, sed Deus ab aeterno
praextitit, antequam quicquam faceret, vt
loquitur Scriptura Prouerb. 8. Quemad-
modum ergo creaturae ceperunt existere
quando in tempore facta sunt, ita cepe-
runt Deo coexistere; longaque alit[er] se
habuerunt, quam si ab aeterno producta
fuisent. Quod ita manifestum est, vt mi-
rum sit nonnullos hac de re dubitare.

est multa in eadem acceptione, in qua
ipsum est & dicitur esse vnum. Sic, v. g.
Christus est vnus homo, id est, non multi
homines: mundus est vnus, mundus scilicet,
id est, non multi mundi: aceruus scilicet,
id est, non multi acerui: & sic de alijs. Quo sensu vox, Vnum, supponit
pro ente quod dicitur vnum: & conno-
tat quoddam non sit multa, eo sensu quo
dicitur vnus. Atque in recto dicit aliquid
positiuum, & in obliquo negationem
quam addit supra ens, vt recte docet
sanctus Thomas quaest. 11. 1. artic. in Cor-
pore. D. Thomas

Secundo, sumitur frequenter vnum
alio sensu, prout significat negationem
confortij aliorum sub eodem nomine ac
ratione: & idem est quod vnicum. Quo
modo quicquid non est multa, non est
vnum. Siquidem quilibet homo, v. g. est
vnus primo modo, quia non multa, id est,
non multi homines: at non hoc secundo
sensu, quia non vnicus.

Priori modo vnus, & quicquid aliud
est ens, est vnus; quia est indiuisum. In
multa, eo sensu quo ipsum est & dicitur
vnum. Estque euidens impossibili-
le quidpiam esse multa, eo sensu & ca-
ratione qua vnum est. Sive sit vnum
simplici vnitatis, quod genus vnitatis per-
fectissimum est, & maxime proprium: si-
ue sit vnum compositionis: aut aggrega-
tione solum. Adde autem sanctus Tho-
mas quaestione 11. artic. 4. Deum hoc ge-
neris vnitatis esse maxime vnum, quia est
maxime ens, & maxime indiuisus. Ens
quidem maxime, quia perfectissimum, & in-
finitum in omni genere perfectionis. Ma-
xime vero indiuisum, quia omnibus modis
simplicissimum.

De secundo genere vnitatis doctrina
eiusdem art. 3. & fidei catholicae, est,
Deum vnicum esse, vt saepius docet Scri-
ptura, Deuteron. 4. Dominus ipse est Deus,
& non est alius praeter eum: & capite 32.
Videte quod ego sim solus, & non sit alius
Deus praeter me. Et Psalmo 8. Tu es Deus
solus: & 1. Corinth. 8. Scimus quia nullus est
Deus, nisi vnus. Idemque modo Catho-
lici omnes certissimum semper habue-
runt, sed & Gentiles Philosophi sepe vni-
tatis, vt ostendit Eugubinus libro 3. de
perenni Philosophia capite 13. & se-
quentibus, post Cyrillum Alexand. lib.
1. contra Iulianum capite 9. & Euse-
bium de preparatione Evangelica libro 11.
capite 9. Adde etiam testimonium totius
ferè orbis, quem ab inani multorum
Deorum religione, ad vnus veri Dei
cultum constat fuisse traductum per Apo-
stolos, eorumque successores, magna in-
genitum miraculorum multitudine: qua
nunc quoque non raro ad vnus veri
Dei nomen, & interpositionem, va-
rijs in locis fiunt: vt Demonum expul-
siones & corporibus obsessis aut possessis.

SECTIO IV.

De vnitatis Dei. Sine Deus sit vnus, &
absolue plures esse respugnet?

Vnum dupliciter sumitur. Primum, prout
opponitur multis, id est, quod non

Vnum dup-
pliciter
sumitur.

39.
Deus est
vnus.

40.
Probat
vnus esse
Deum.

Eugub.
Cyrill.
Euseb.

Morbis naturaliter incurabilium curationes repentinae, & similia: quae si quis neget facta olim fuisse, & adhuc fieri aliquando; non est quod quicquam alijs referentibus credat. Vix enim quicquam aliud tam multorum, & talium testimonio, tam firmis & constantibus proditum est.

Ratio naturalis ad idem confirmandum multiplex est. Ac primo, quod sit aliquid quod ens à se, summum & perfectissimum, est omnino necessarium, & evidenter ostensum disp. 2. Esse verò multa huiusmodi, neque necessarium est, neque probabile. Ergo vnum tantum asserendum est. Non enim debet aliquid asseri sine euidencia, necessitate, aut probabilitate, per meram suspensionem, aut electionem puram. Nam hoc à ratione alienum est, & habet erroris periculum: praesertim verò in admittendo aliquo numine summè amando, colendo, & timendo. Si enim obligationes non sunt temerè, ac sine fundamento admittendae: quantum minus summa obligatio, & summa subiectio? Quod autem non sit necessitas plurium à se existentium, probatur, quia vnicum à se sufficit, quod potest esse adeo perfectum, ut in se colligat aliorum omnium perfectiones, & ceterorum omnium causa sit. Et in contrarium ratio nulla grauis vel probabilis apparet. Deinde si duo essent Dij, vel plures; alter ab altero esset independens, & altero licet inuito ac renitente, necessariò esset, & operaretur quicquid veller. Nam de ratione Dei veri est ut sit independens, & à se. Ac si quis alium superiorem haberet, & ab illo penderet; deberet sine dubio illum pro Deo agnoscere. Iam ergo ut ait Athan. in oratione contra idola, aliquando post initium, *Si concedas, ut nolente altero, alter tamen consistere possit; nequa in ambobus potestas & imbecillitas fuerit. Par quidem in eo potestas, quod alter alterius voluntatem vincat, eo ipso quod altero inuito esse possit. Par item imbecillitas amborum in hoc est, quod nolentibus ipsis, ea quae nolint, eueniant*: Siquidem vnum praeter alterius voluntatem existeret, & operaretur quicquid veller. Neque respondeat aliquis nullam fore in Dijs diuersam naturam, & voluntatem, ceterarumque voluntatum & diuersitatem. Nam licet in rebus necessarijs non possent dissidere, id est vitiosas & peruersas habere voluntates: tamen in indifferentibus, quae possunt sine ricio expeti & non expeti, cuiusmodi sunt ea omnia quae à Deo liberè condita sunt, id est, omnia praeter Deum vniuerso contenta, ut abbi ostendimus: Incredibile omnino est eos vel liberè, vel necessariò, semper in vnum & idem consensisse, neque aliter quicquam operari posse. Tertio ad productionem & conseruationem totius vniuersi, ex quo naturaliter Deum

esse colligimus, non est necessaria Deorum multiplicitas, sed importuna potius & superflua. Ergo non est admittenda. Probo antecedens. Causa enim quae potuit suprema & perfectissima entia producere de nihilo, potuit quoque cetera. Et Deum ad impotentem imaginari, ut concursu aliorum indigeret, vanum est. Contra verò, posita primarum causarum multitudine, sequitur diuersitas voluntatum, & potestatum, & resistentia vel cessio possibilis ex altera parte, quae foret magna imperfectio, atque confusio. Ac negari non potest, quin modus hic regendi mundum sit absurdior, & magis obnoxius dissidio causarum, & interruptioni effectuum. Vnde Iulud Philos. 12. Metaph. in fine: *Non sunt multa principia. Entia nolunt male gubernari. Non est autem bonum multorum principum. Vnus ergo princeps.*

Adde ex Lessio lib. de Prouid. Numinum. 144. magis consentaneum esse, ut sit vna quaedam natura à nullo dependens, in qua tota plenitudo essendi eminenter & vnitè existat, & à qua in reliquis omnes, pro vniuersiuique gradu, & capto, esse descendat: quam ut sint multae naturae quae à nullo dependant. Vbi enim, inquit, est multitudo specierum, vel indiuiduorum alicuius naturae; ibi quoque est limitatio & imperfectio: cum illa multa sint omnino distincta, nec alterum alterius perfectionem & vim contineat. Vnde fit, ut nullum illorum sit propter se, sed propter aliud, & omnia conspirent & coalescant in vnum, sine quo vni partes vnius integri, quod ex ipsis confurgit. Ut multa corpora constituunt vnum mundum: multi homines, vnam Rempublicam: multi Angeli, vnum regnum spirituum. At verò id quod est à se, debet esse omnino perfectum, & sibi plane sufficiens, nullius egens consortio. Quia quod est à se: est etiam propter se: & quod caret principio efficiente, caret etiam fine, qui non causat nisi mouendo agens, ac proinde ipsum est sibi finis & Omne bonum: ita ut extra nec consortium, nec auxilium, nec complementum, nec gaudium, nec beatitudinem querere debeat, sed omnia in seipso plenissime habeat. Quare quod est à se, solum vnum esse potest; nempe ipsum est illimitatum & primordiale, per se sufficiens, fons omnis entis & naturae limitatae. Denique causa cur natura diuina multiplicari non possit, praecipua est, excellentissime infinita eius perfectio, quae complecti debet in vnitae simplicissima, quicquid in multiplicitate indiuiduorum concipi potest.

Adde praeterea esse absolute impossibile plures esse Deos. Nam si essent multi Dij, vel solo numero different, vel etiam essentialiter. Neutrum dici potest: ergo &c. Non primum: quia multiplicatio indiuiduorum eiusdem naturae intra eandem speciem, se-

Aristot.

42.
Lessius.

Athanaf.

Ester dis.
leasio. vo.
naturatum.43.
sectio.43.
Si essent
plures Dij,
essent in-
fanti.

habet per accidens, quoad tantam vel tantam eorum multitudinem, & quantum est de se potest procedere in infinitum: ut patet in omnibus alijs naturis. Quia enim ratione possunt, id est, non repugnat esse duo vel tria illius individua: ita non repugnat absolute esse quatuor, & centum, & mille, & sic deinceps in infinitum. Cur enim potius sistetur in vno numero finito, quam in altero? & cur natura omnis creatura multiplicabilis numerice erit capax infinita multiplicationis individuorum, non autem diuina? Ergo si plura possunt esse individua natura diuina, possunt esse infinita. Ergo de facto sunt infiniti Dij, quia respectu Dei idem est esse, & posse esse. Est enim ens absolute necessarium, & existens vi sua essentia, ita ut existentia sit de ipsius essentia. Absurdissimum vero est, ac ne quidem in illo Gentilium Polytheorum adhuc asseram, Deos esse infinitos: ergo pariter absurdum est, duos esse Deos, aut plures aliquo finito numero: Ex eo enim sequeretur debere esse infinitos. Confirmatur quia multiplicatio individuorum intra eandem speciem, fit aut propter conseruationem speciei, cuius individua sunt corruptibilia: aut propter limitationem, v. vnum sit in vno loco v. g. aliud in alio, & plura praesent, quod vnum solum praesentare non posset, habeatque natura in pluribus extensionem, aut inensionem perfectionis, quam in vno habere nequit. At haec omnia repugnant manifeste naturae diuinae, quae necessario est aeterna, & indelectibilis, immensaque & infinita simpliciter in genere entis, id est, contingens omnes omnino perfectiones, formaliter aut eminenter, inquamquamque eo modo quo melius est illam continere.

44.

Atque hinc sequitur, secundum dici non posse, id est, non posse admitti plures Deos differentes essentialiter. Nam si differrent essentialiter, melius eorum esset infinitus simpliciter in genere entis, id est, illimitatus in omni genere perfectionis: quia non contineret differentiam essentialem aliorum Deorum. Vel enim contineret illam formaliter, vel eminenter. Si primum: non differret ab illis essentialiter. Ea enim non differunt essentialiter, quae conueniunt formaliter. Si secundum: ergo contineret in aliquo eminentiori & perfectiori, essetque illius radix & origo, ergo alij essent imperfectiores, ac proinde non infiniti & illimitati in omni genere perfectionis. Ergo alij non essent ens a se. Quia quod est ens a se, est infinitum in genere entis, ut alibi ostendimus. Item alij ab isto acciperent differentiam suae essentiae constitutiuam, eminenter in illo contentam: ac proinde non essent a se. Idemque argumentum fieri potest de differentijs indiuidualibus

plurium Deorum, qui dicerentur solo numero differre. Quare implicat dari plura entia a se, siue essentialiter, siue numero solo diuersa.

Item si essent plures Dij quomodocunque diuersi: vel alter alterius sciret omnia secreta consilia, ipso licet inuito; vel non sciret. Si primum: par in vtroque esset imbecillitas & impotentia occultandi sua consilia: & tamen occultandi potestas, pertinet ad bonum, & dominium quoddam proprietatis naturae intellectualis circa suos actus liberos & cogitationes cordis. Si secundum: par in vtroque esset ignorantia, & impotentia cognoscendi alterius voluntatis secreta. At ignorantia, & impotentia cognoscendi aliquid de se cognoscibile, repugnat enti a se, infinite perfecto in genere intelligendi, & in omni alio genere perfectionis: ergo neuter esset ens a se. Ergo neuter Deus. Ergo tam necesse est Deum vnicum esse, quam Deum esse. Plura de hac veritate fundamentali fidei videri possunt apud Iustinum in Paranesi ad Graecos, Clementem Alexandr. in Protrept. Cyprian. lib. de Idololatriam vanitate. Athanas. in oratione contra idola, August. contra Faustum, & in libris de ciuit. aliosque Patres probantes contra Manichaeos, non esse duo prima rerum principia: & contra Tritheitas, tres personas Trinitatis non esse tres Deos: & contra Gentiles, Polytheismum esse penitus impossibilem.

Huic autem veritati non obest mysterium Trinitatis Personarum, reuelatione diuina cognitum. Quia non propterea multiplicatur Veritas, quae in omnibus, & singulis, vna numero est: ideoque omnes & singula sunt vnicus Deus, & vnica causa prima, vnica natura, intelligentia, voluntas, & omnipotentia. Quare ex hac multiplicatae non sequuntur incommoda, superius deducta ex Deorum multitudine. Item essentia continet eminenter proprietates relatiuas personarum, & qualibet persona conuenit formaliter essentiam, eo scilicet modo, quo continere melius est: cumque illa realiter identificatur. Et quatenus est Deus formaliter, est ens a se, illimitatum, & infinitum in omni genere perfectionis. Ad tres illarum proprietates relatiuas, differunt plus quam solo numero, a se inuicem. Plus enim differunt Paternitas a Filiatione diuina, quam differrent duae paternitates ab vnica. Ac denique omnia ratio redditur, cur ultra tres non multiplicentur: quia non possunt esse plures originos ad intra, quum per viam intellectus & voluntatis; quum quaelibet exhaustiua productione persona sibi adequatae & perfectissime respondentis; ut in tractatu de Trinitate declaratur.

45.
Si plures
essent Dij,
essent im-
becilles,
aut ignari.

Iustin.
Clement.
Cyprian.
Athanas.
August.

46.
Vnicitati Dei
non obest
trinitas
personarum.